





1723.

1. Faber, W. Ch. Laurent: De jure molentiorum.  
2. 28 mgl 1723 - 1748.

2. Belzias, Iohannes Mauricius: De immediatae S.R.T.  
nobilitatis aliquata, potestate, dignitate

3. Gobel, Ioh. Theobald Antonius: Resolutio capitinis  
59. 10 de appellacionibus et quardam ex jure nat.  
gent. et ciuitati corollaria.

4. Salymann, Fr.: De luxatione ossis femoris ex  
rivore, frequentiore colli fractura.

1724.

1. Drey, Iohannes Ludovicus: De proclamate Causali.

2. Lenzi, Ioh. Franc. Lukas: De reconvocatione  
privilegorum.

3. Vieil, Ursas: De obligacionibus ex facto alieno.

1727.

1. Fruehlich, Johanna Thomas : De aequitate factio  
rum collectarum classarum ordinariis in  
legislamentis.

1728

1. Beck, Joannes Ernestus : De collegio electorum ad autr-  
iusque a collegio principium separato. Rec. 1742.

2. Linckius, Ieronimus Oberhardus : De in sufficiosa  
donatione

1728

1. Beck, Joannes Ernestus : De collegio Electorum ad autr-  
iusque a collegio principium separato. Rec. 1742.

2. Nicolai, Ludov. Christ. : De contractu vel litio, quo  
amis redditus ad dies virtutis comparantur.

3. Reichenmannus, Johanna Augustus : De eo, quod justas  
est incursus pauperum. Rec. 1728.

1728.

Y. Wieder holdt, Imaes Tholomaeus: De jure siccis et secis.  
nationibus. - - -

1731.

1. Hoffmann, Ludovicus Bartholomeus: De Sacrae Scripturae  
et Almanachae

1732.

1. Maire, Ludovicus Matthias: Analysis 1.13. Cal.  
aristrium tuberculatum

1733.

1. Le Feuvre, Hermannus Edalpens: De legi in genere  
notione.

1734

1. Fuchs, Bandusius Josephus: De resonanda sonatione ab  
superiorum Tiam liberorum

1735

1. Froehsler, Dr. Lennharts: De charlatanica theo-  
logorum. Oratione.

1736.

1. Bruch, Fridericus Daniel: Observaciones quae de  
practicæ de radicis fructicis juniperi occiso.

1737.

1. Neur'le, Petrus Josephus Antonius: Octetela materna
2. Freylinger, Joh. Christianus: De s. R. I. principe justi  
duorum Electoratum socularium ponitore.
3. Ziegler, Joh. Martinus Giulielmus: De arbitris compag  
missariis . . .







p. 149

Pri. 33. *Si. 18.*

3,

*Q. D. B. V.*

17371.

P. 248.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
**TVTELA MATERNA**  
QUAM  
**DEO PRÆSIDE** 21  
EX CONSENSU  
**MAGNIFICI JCTORVM**  
**COLLEGII**  
IN REGIA UNIVERSITATE ARGENTO-  
RATENSIMUM  
**PRO LICENTIA**  
PRIVILEGIA DOCTORALIA IN UTROQUE  
JURE RITE CAPESSENDI  
*AD DIEM. 15. APRIL. ANNO MDCCXXXVII.*  
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTIT  
**PETRVS JOSEPHVS ANTONIVS**  
**DE NEVILLE,**  
ARGENTINENSIS.

Typis, MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.



DEO,  
PATRIÆ,  
PARENTIBVS,  
PATRONIS  
atque  
AMICIS.



J. N. D.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JURIDICA

DE

TV TELA MATERNA.

§. I.

**N**ihil certe Juri Naturali tam conve-  
niens est, quam ut is, qui per-  
fectæ ætatis non est, alterius tute-  
la regatur. Cum enim ejus infan-  
tia atque adolescentia fragilis repe-  
riatur atque infirma, multisque  
captionibus supposita, & multorum insidiis ex-  
posita, æquitas naturalis efflagitat, ut impuberum  
infirmitatæ aliorum præstantiorum gubernetur pru-  
dentia.

A 2

dentia.

dentia. Licet autem tutela juris naturalis sit , quia necessitas communis eam peperit , tamen datio tutoris est juris civilis §. 1. *J. L. I. pr. ff de tutelis.* Naturalis enim ratio tantum monet , tutorem pupillo necessarium esse , non tamen definit , quis tutor ei dandus sit , sed electionem ac dationem probi cuiusdam , fidique tutoris prouidentiae & arbitrio magistratus commisit . Quamobrem & Jus Civile varios modos constituendi tutores introduxit , ac tutelæ administrationem pro munere virili & officio publico reputavit.

§. II.

Hac ratione factum est , ut feminæ ab ea gerenda excluderentur. *L. f. ff. de tutel. L. 26. ff. de administr. ius. L. I. C. quando mulier. tutela off.* Excepiebatur autem postea mater & Avia , quibus singulari jure & favore , solo pietatis intuitu , quæ juris subtilitates respuit , & ratione amoris , quem erga liberos fovent , indulsum fuit , ut tutricis atque curatricis officio fungi possint , quod manifeste probat totus titulus *C. quando mulier. ius off. Nov. 118. c. 5.* Nec obstat quod officium tutelæ ultra sexum feminineæ infirmitatis sit , & in tute reuiratur intellectus , consilium , robur animi & constantia ; quoniam summa naturalis matris & aviaæ affectio juncta pietate , in liberos prudens-

dentia<sup>e</sup> defectum eo magis supplet , cum & alias  
fideles , licet illiterati , à tutela non sint arcendi.  
*L. 6. §. 19. ff. de Excus. tut. L. 8 ff. de suspect. tut.*

§. III.

Hæc Tutela Matri & Aviæ delata appellatur Materna. Sumimus autem hic tutelam non stricte , qua in specie tantum pupilli reguntur , sed late , quæ & pupillorum & minorum defensionem atque curam in se continet. *L. 191. §. 2. ff. de cond. & demonstr. L. 5. C. de Curat. fur.* Per Maternam autem tutelam intelligimus eam , quæ competit Matri. Matris vero nomine hic venit non tantum illa , ex cuius utero quis venit , ut in *L. 5. §. 2. & 3. L. 13. ff. de statu hom. sed & ea , quæ genitricis nostræ genitrix & mater est , nimirum avia nostra , a qua mediante matre nostra provenimus. arg. L. 201. ff. de V. s. vid. SPIEGEL. in Lexic. voc. Mater.* An vero proavia etiam sit comprehensa , dubitatur inter DD. Alii cum BERTK. *Conf. 176. n. 14.* eam excludunt , alii vero cum BERLICHIO in P. 2. Dec. 378. n. 3. & 4. includunt His suppositis quilibet intelliget , quid per tutelam maternam velimus , nempe eam potestatem , quæ Mari & Aviæ volenti defertur in liberos & nepotes , qui propter etatem se ipsos defendere nequeunt , ad eos tuendos ipsorumque bona administranda.

A 3

§. IV.

## §. IV.

Originem trahit hæc tutela materna ex Jure Romano, & licet ab initio de Jure Pandectarum & Codicis Pater in testamento tutelam communium liberorum matri mandare non posset, *L. 26. ff. de testam. tut.* et si mater voluerit esse tutrix, quoniam cogebatur eam specialiter à Principe impetrare, postea tamen Jure Novellarum cœpit esse legitima, ita ut omnibus agnatis & cognatis præferatur *Nov. 118. c. 5.* Imo usu ubique fere locorum testamentaria quoque approbata, confirmata atque corroborata videtur, ita ut moribus quorundam populorum & in feudalibus locum habere possit. *vid. ROSENTHAL. de feud. c. 12. concl. 10. n. 20. SCHRADER. de feud. scđt. 19. n. 28.* aliisque complures, quos HAHN. ad *Wesenb. n. 5. tit. de tutel.* allegat. In Saxonia tamen tutelam maternam ad bona feudalia non porrigi testatur *Dn. de LYNCKER. Decis. Jur. 5. p. 5.*

## §. V.

Nec iniquum mihi videtur hoc privilegium matri atque aviæ concessum, cum propter tenerissimum istum in liberos affectionem, innatumque carnis suæ amorem præsumi possit, matrem majori studio atque zelo liberos prosecuturam, commodis-

modisque eorum invigilaturam esse. Defertur autem hæc tutela hodie vel ex *voluntate patris*, vel ex *dispositione legis, s. Confuetudinis*. Hinc alia dici potest tutela *testamentaria*, alia *legitima*. Illa est, quam Pater in testamento matri & avia in liberos vel nepotes concedit vel soli vel cum adjunctione aliorum, & quidem vel *expressè* vel *tacite* e. g. Si eam usufructuariam & omnium bonorum administratricem esse, quamdiu vidua maneat, jufserit, vel si ei liberos in manus tradere declaraverit, nec alios tutores dederit. vid. BOERIUS *Dec.* 124. n. 3. Et hanc frequentissimam esse hodie inter Reges & Principes aliasque Personas illustres refert STRYCKIUS *de tut. mat. Princip. cap. 2. th. 13.* ubi quamplurima refert exempla. Ad hanc classem quoque pertinet *pactitia*, quæ in pactis dotallibus a marito defertur uxori in casum, si ante ipsam relictis liberis moriatur, prout id citatus STRYCKIUS l. c. afferit. Plura vide apud BETS, *de Pact. fam. Illustr. p. 256*, BOER. *dec. 124. n. 3. lqq.* Legitima dicitur tutela materna, quæ testamentaria aut hodie pactitia deficiente à lege defertur. Si à lege scripta datur, nuncupatur *Legitima* in specie, si à non scripta seu confuetudine, vocatur *Statutaria*. Illud autem bene notandum, quod, quando dicitur testamento vel à lege deferri, id non intelligendum sit, ac si testamentum & lex præcise necessitatem imponat, sed quod tantum per-

permititat, tutelam suscipere posse. vid. CARPZOV.  
P. 2. C. II. def. II. n. 13.

## §. VI.

Hactenus dictum fuit, quid & quotuplex  
sit tutela materna, videamus nunc, quānam re-  
quirantur, ad maternam tutelam suscipiendam.  
Necesse primo est, ut femina tutelam efflagitans  
sit *Mater aut Avia*. Concurrente autem utraque,  
mater præfertur avia, quo proximior enim con-  
junctio, eo major præsumitur affæctio. Defici-  
ente autem matre, & si avia paterna & materna  
tutelam ambiant, utramque ob paritatem pietatis  
conjecturæ & amoris in nepotes conjunctim  
admitti, omnes ferre DD. prætendent. Quid si  
autem mater liberorum non fuerit defuncti patris  
uxor legitima, sed concubina? Respondetur &  
hanc admittendam esse docemur ex *Lege 3. c. quando mulier tutela off.* quoniam, quemadmodum lex  
matri & aviae legitimæ prolis tutelam secundum  
successionis ordinem deferre potest, *Nov. 118.*  
*c. 5.* consequenter & mater naturalium libero-  
rum à tutela arcenda non est, nulla enim respe-  
ctu successionis & affectionis videtur disparitatis  
ratio inter matrem legitimæ & illegitimæ prolis,

## §. VII.

Non autem extenditur hoc privilegium ad  
matrem,

matrem, qua liberos ex damnato coitu procreavit. vid. GOMETZ ad L. Tauri 14. n. 10. & GUTTIEREZ. de tutel. P. 1. c. 8. n. 10. Excluditur quoque mater adoptiva & Noverca; hæc enim tutrix legitima esse non potest, quoniam in utraque affectionis simul & sanguinis cessat ratio, & spaciati omnes, quæ non sunt matris & aviaæ loco, removentur Nov. 118. c. 5. vid. BRUCKNER. addit. ad Mainard. 5. BERLICHIVS de Jure Novercarum Ex quibus patet, quod tutela legitima aliis præter matrem & aviam mulieribus deferri non possit, nisi expresse statuto alicujus loci contrarium observetur, ut in statutis Frisiae Orient. Lib. 16. c. 240. ubi omnes majores **Neverolderi** absque sexus distinctione admittuntur. Habemus etiam exempla, quod quandoque mater tera aliaeque consanguineæ tutelam quorundam administrarunt, STRYCKIUS in Diss. de tutela materna principum Imperii memorat, Franciscum Mariam Ducem Mirandulanum amitam suam Magnam Brigittam tutricem habuisse. Item Petrum Lusitanæ Regem sorori sua Catharinæ Caroli II. Magnæ Britannie regis viduae tutelam liberorum suorum commisisse, ex historia regni Lusitanici constat.

### §. VIII.

*Secundo necesse est de Jure Cæsareo Romano, ut mater sit major viginti quinque annis, verum*

B

rum

rum hodie ubique fere locorum admittitur , etiam si  
 sit minor 25. annis , tamen hoc casu datur specia-  
 lis curator , ad agendum vel defendendam litem  
 vid. BALTHASAR. tit. 5. Resol. Bavar. 3. n. 25. & MA-  
 STRILL. Decis. 73. n. 5. HAHN. ad Wesenb. pag. 213.  
 CHRISTIN. Decis. Belg. vol. 5. Dec. 195. n. 3. alios-  
 que , quos EUBEN. in *Diss. de tutela feminæ* allegat  
 pag. 340. *Tertio* requiritur , ut sit vidua & jurato  
 renunciet secundis nuptiis apud acta secundum  
*L. 2. C. quando mulier iur.* Ratio est , quoniam  
 propter superinductum vitricum mater omnino  
 suspecta sit , præsumitur enim novo marito non  
 solum bona , sed & vitam liberorum addicere , &  
 sic magis salutem mariti promovere , ejusque vo-  
 ta adimplere , quam liberorum curam gerere. vid.  
 GOTTMANN. vol. 3. conf. 19. n. 46. Hinc si hac  
 renunciatione non obstante ad secunda vota trans-  
 volaverit , statim à tutela removenda erit , ratio-  
 nesque gestæ tutelæ reddenda sunt , etiam si ag-  
 nati vel cognati consentiant ut FABER. in *Cod. lib.*  
*5 t. 20. def. II.* prætendit. Quod si rationes non  
 reddiderit , nec aliis tutor petitus sit , ipsa à suc-  
 cessione repellitur , omniaque bona & matris &  
 vitri tacito pignore pro damno pupillis tenen-  
 tur. vid. BERLICH. P. 1. *concl. 67. n. 82.* NEGUANT.  
*de Pign. M. 4. p. 2. n. 156.* Potest tamen à Princi-  
 pe impetrare , ut possit esse tutrix etiam post se-  
 cunda vota , vid. GUTTIEREZ. P. I. c. 9. n. 18. Vi-  
 tricus

tricus vero privignorum tutor esse non potest, nisi is, quem pater dedit in testamento duxerit pupilli matrem, atque ita Vitricus ex postfacto evalerit. vid. CORAS. ad L. 32. §. ult. de adopt.

### §. IX.

Quid vero dicendum, si mater ad secundas nuptias transit, & rursus vidua facta, poterit ne tutelam recipere mortuo quoque tute? In decidenda hac quæstione DD. variant. Sunt qui negativam & affirmativam fovent sententiam. Hanc qui sequuntur, in eo se fundant, dicentes: quod mortuo marito secundo extincta sit causa remotionis. Ast potior est pars negantium, quæ matrem rursus viduam factam ad tutelam non admittit, quia, cum suspecta à tute liberorum repulsa sit, adhuc durat suspicionis causa, imo secundis nuptiis inescata de tertiiis cogitat. vid. SURDUS *decis. 106.* SPINOSA *in spec. testam. gloss. 29.*

*n. 10. & 11.* Sed quid si mater secundo vidua jam primum tutelam petat? Doctores rursus hac in re non convenient; quidam enim admittendam putant; quia privata ea tutela nunquam dici potest, quam nunquam habuit, unde res adhuc integra esse viderur. Ast contrarium verius esse videtur, & mater per transitum ad secunda vota sive valida sive nulla sit suspecta legi, licet enim

nunquam privata fuerit mater , quando secundo nupsit, tamen ratio suspicionis durat, donec vivit, & militat in utroque casu tam suscep<sup>t</sup>a quam non suscep<sup>t</sup>a tutela , prout concludit SURDUS *Dec. 106.* qui dicit, se non invenisse tactum hunc casum apud DD. Cum per istam suspicionem non temporaliter sed in perpetuum excludatur, exemplo viri vergentis ad inopiam , cui non restituitur dos , quamvis postea dives efficiatur. vid. MYNSINGER *Cent. 3. obs 85.*

## §. X.

Quæritur autem , an adhuc hodie hæc renunciatio necessaria & jurata esse debeat ? Quod prius membrum attinet, negari nequit, hanc renunciationem in quibusdam locis haud requiri, ut in Bavaria testatur BALTHASAR. *tit 5. Resol. Bavar. 3. n. 16.* idem quoque de aliis locis allegat BUSIUS. Verum in plerisque aliis, ut in Saxonia , teste CARPOV. *v. 2. c. 11. def. 14.* adhuc renunciatio hæc non tantum in tutelis privatorum, sed & in Illustribus adeo necessaria est, ut asserti nequeat, hoc requisitum in desuetudinem abiisse , ut aliqui contendere volunt. An vero jurato fieri debeat, alia quæstio est. Hoc, ut notum , non amplius necessarium esse , quoniam Justinianus Imp. ad evitanda perjuria *Legem 2. C. quando mulier. tui. Jure Novell.* correxit, atque juramentum matri remisit,

fit, Nov. 94. c. 2. & Aut. Sacram C. eod partim, ut  
matrimonia sint libera, partim quoniam pericu-  
losum est, juramento aliquem a nuptiis absterre.  
Sufficit itaque si apud acta judicij judicis decreto  
simpliciter & absque juramento mater renunciet.

§. XI.

*Quarto* opus quoque esse legimus, ut matr-  
fuscipliens tutelam liberorum renunciet S. Cto Vel-  
lejano, & omni legum auxilio, & quidem eam  
ob rationem, quoniam, si huic beneficio non re-  
nunciareret, ipsa intercessionibus suis etiam in rem  
pupilli gestis non efficaciter obligaretur, & hoc  
modo non tantum conditio pupilli, sed & partis  
contrahentis cum illa aliquando maxime pericu-  
lofa erit atque damnoſa. Que renunciatio ad-  
huc hodie propter favorem pupilli in judiciis ob-  
servanda, imo & matres illustres obstringit, pro-  
uti GYLmann. *Sympb. Cam. Tom. 3. voc. Tutela*  
exempla adducit. Quod autem nihilominus per  
confuetudinem contrariam tolli possit, nullum  
dubium est, quia non tantum Galliae, Belgii, sed  
& locorum quorundam Germaniae, e. g. No-  
rimbergæ mores satis nos docent. vid. CHRISTI-  
NÆUS vol. 3. dec. 149. n. 3. Quid si autem non  
renunciaverit, in loco ubi obſervatur, posset ne  
uti beneficio suo? Respondeatur, quod non, quo-  
niam debet per jura renunciare, ergo quod legi

B 3

non

non satisfecit, id matri non prodeesse & filio non obesse potest.

§. XII.

*Quinto* ut tutela materna locum habeat, requiritur, ut nullus tutor testamentarius adsit, aut existat, nulla suspicione gravatus removeri debat. Ratio, cur testamentarius matri præferatur, hæc est, quoniam in materia tutelari judicium paternum est spectandum, leges enim multum deferunt pietati maternæ, amplius tamen deferrunt patri circa personam & negotia filii, quia nullus amor vincit paternum, VIVIANUS *Dec. 521.* *n. 29.* Quid si autem pater nullum dederit tutorem in testamento, sed expresse prohibuerit, ut tutelam mater non suscipiat, possit ne mater tutelam petere? Respondetur affirmando, quia mater tutelam habet ex legis provisione *Nov. 118. c. 5.* quam maritus sua autoritate tollere non potest, nisi tutorem dederit vid. RITTERSH. *P. 8. expl. nov. c. 9. n. 14.* Quæritur autem, si nullus tutor testamentarius adsit, bene tamen legitimus, poterit ne mater ipsi præferri? De Jure Codicis *ex L. 2. C. quando mulier tutel.* mater postponitur, ast Jur. Nov. *Nov. 118. c. 5. & auth. matri C. eod.* Patruo ac reliquis agnatis ex latere præferetur. Verum hac occasione major fœse oggerit  
quæ-

quæstio, an nimirum mater Avo paterno præfenda sit? Non unanimis hac in re DD. est sententia. Dantur enim qui avum præferendum esse matri, acriter contendunt, ea ex ratione, quod eadem affectio naturalis, quæ in matre præsumitur, & hic pugnat. Quis enim affectus talis, ut vincat paternum dicente Justiniano in *L. 7. pr. C. de Curat. far.* Secundo moventur *Novella 118. c. 5.* ubi sancitum est, quod omnibus à latere cognatis proponatur mater, ergo non ascendentibus. vid. PASCHAL. *de viribus Pair. Poteſt.* Contra inveniuntur quamplurimi, qui statuunt, matrem avum quoque paternum excludere, modo defunctus pater fuerit emancipatus; Nec obſtare dicunt particulam taxativam *ſolis testamentariis in d. Nov. c. 5.* quoniam non excludit ſimilem aut majorem caſum. vid. FRANTZK. in *Comm. ad ff. tit. de ineff. test. n. 77.* & ita quoque pronunciauerunt Scabini Lipſiensis apud CARPZOV. *P. 2. c. 11. def. 13.* vid. STRYCK. in *U. M. Pand. Lib. 26. tit. 4. §. 31.*

### §. XIII.


Admittitur itaque mater & avia ad tutelam secundum haētenus diēta requifita, niſi ipſa laboret defeſtu vel vitio aliquo, ob quod aliud tutor poſſit a munere repelli. v. g. Si fit muta, vel furda, furioſa aut prodiga &c. Quodſi nullum adſit tale impedimentum, recte ſuſcipere potest tutelam

telam, præcedente confirmatione a Judice facta.  
 Qua interposita inventarioque confessio, mater  
 tutrix omnia administrare potest, quæ alius tutor,  
 nempe procuratorem constituere, immiscere se  
 hereditati, & omnia facere, quæ spectant ad com-  
 modum pupilli. An vero satisdare teneatur; quæ-  
 ritur? Respondetur idem dicendum esse, quod  
 de tutore masculo, si nempe mater honesta &  
 frugalis, sagax, provida, & nullo modo suspe-  
 cta de dilapidatione, non satisdat. Quid si vero  
 creditrix vel debitrix pupilli sit, potest ne tute-  
 lam administrare? Dicitur *in auth. ad hec Cod.*  
*quando matier tutel.* quod sic, quoniam ob exi-  
 miam charitatem, quam mater fovet erga libe-  
 ros, non præsumitur dolum committere. Plura  
 de hac materia legi possunt in EYBENII *Diss. de tu-  
 tela feminea* HAHN. *Diss. de tutela materna*, ut &  
 BECHMANNI *Diss. de eadem mat.* *De tutela materna*  
*principum* habemus elegartissimam dissertationem  
 a DN. STRYCKIO Hale 1696. habitam, qui & de ea-  
 dem re in *Uſu mod. ff. Lib. 26. tit. 4.* prolixè egit.  
 Legi quoque meretur GRASSI *Diss. de tutela ma-  
 terna nobitum Imperii immediatorum Tübinge 1701.*  
 ventilata. Ad quos omnes benevolos le-  
 tores remitto.

**T A N T U M.**







Strassburg, Diss., 1723-39

ULB Halle  
002 491 648


3



Sb. 4

W018





B.I.G.



Pr. 33. 9. 1737.

3  
1737.  
D. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
*P. 248.* TVTELA MATERNA  
QUAM  
DEO PRÆSIDE 21  
EX CONSENSU  
MAGNIFICI JCTORVM  
COLLEGII  
IN REGIA UNIVERSITATE ARGENTO-  
RATENSIMUM  
PRO LICENTIA  
PRIVILEGIA DOCTORALIA IN UTROQUE  
JURE RITE CAPESSENDI  
AD DIEM. 15. APRIL. ANNO MDCCXXXVII.  
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTIT  
PETRVS JOSEPHVS ANTONIVS  
DE NEVVILLE,  
ARGENTINENSIS.

Typis, MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.

KÖNIGLICHE  
UNIVERSITÄT  
ZU HALLE